DISSERTATIO SOLEMNIS MEDICA

DE CAVSSIS CVR SOMNVS PROTRACTVS IN PRIMIS HYPOCHONDRIACIS NOCEAT

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS AC GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
ATQVE EXPERIENTISSIMO
GODOFREDO CHRISTOPHORO
BEIREIS
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE
SERENISSIMI BRVNOVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM
DVCIS A CONSILIIS AVLICIS MEDICINAE THEORETICAE
MATERIAE MEDICAE CHEMIAE ET PHILOSOPHIAE
NATVRALIS PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO
MEDICORVM ORDINIS H' T' DECANO
PRO GRADV DOCTORIS
D' XVII. IVLII A' R' S' CIϽ IϽ CC LXVII.
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTIT
AVCTOR

IOANNES IVLIVS GVILIELMVS DEDEKIND
SCHEPPENSTADIENSIS.

HELMSTADII
EX TYPOGRAPHEO ACAD' VIDVAE SCHNORRIAE.

SECTIO I.

CAPVT I.

DE

STATV CORPORIS SANO ET MORBOSO IN GENERE.

§. I.

STATVS corporis ſanus, aequalis omnium actionum vigor atque conſenſus virium, partium ſolidarum iuſto tono fluidarumque incorrupta mixtione ac debita quantitate innititur. Partes nimirum ſolidae minimae, fibrarum nomine inſignitae, vel tenuiſſima fila (terreis ſcilicet in ſeriem continuam ordinatis particulis, et vi glutinis, oleoſis, aquoſis, terreis ac paucis ſalinis conſtantis, tenacis, firmi-

ter coiunctis) vel lamellas informes, ex eiusmodi terreis ac glutinosis particulis sine ordine nexis conflatas repraesentant. Fibrae solidae particulae mediante glutine firme cohaerent; mediante glutine fibra flexilis est sine diruptionis metu; tensioni resistit, flexa, incuruata, iterumque sibi relicta, in pristinam figuram resilit: hinc ope glutinis elastica est, irritabilitatem et vim tonicam habet. Fibrae plures inter se connexae tunicas, tunicae membranas, membranae conuolutae vasa et varii generis receptacula, vasa vero tela cellulosa connexa viscera formant. Quum itaque omnis corporis fabrica e fibris constructa sit elasticis atque irritabilibus; fluida in vasis contenta solidarum partium perenni systole atque diastole mutua perpetuo promouentur ac blanda in mixtione conseruantur, indeque secretionibus et excretionibus liberis, copia fluidarum partium tanta est, quanta solidorum robori respondet. Gradus elasticitatis, quem in statu sano fibrae habent, accurate determinari nequit, quum quiuis mortalium sua peculiari gaudeat sanitate et inde peculiari elasticitatis gradu. Sed si fibrae omnes eiusdem corporis, quoad elasticitatem et inde dependentes motus tonicos consentiunt, corpus hoc respectu sanum est. Causa vero, quare fibrae motu perenni vigeant, haec mihi esse videtur: fibrae, praecipue musculares, quibus musculi, cor, arteriae, ventriculi, intestinorum, vesicae vrinariae musculosae tunicae constructae sunt, tanta excellunt elasticitate, vt a quacumque causa irritatae, chordarum musicarum instar tremant.

Inde

Inde quum perpetuo a fluidorum motu perenni, calore et ſalinis particulis irritentur, perpetuo palpitant. *)

§. II.

IN ſtatu corporis morboſo, virium ac motuum diſſenſu, plerumque fibra vel nimis rigida eſt, vel nimis laxa. Nam a motu corporis nimio, potus ſpirituoſi abuſu, ſale immodice adſumto, animi effrenatis adfectibus, ira praecipue, medicamentis calidioribus, glutinis parte aquoſa et oleoſa conſumta, terreis particulis condenſatis, fibris exſiccatis, partes ſolidae ad vegetiores contractiones ac dilatationes reciprocas minus idoneae, ſpaſtice contractae, liberum humorum per vaſa motum impediendo, ſtagnationes, obſtructiones, varias humorum corruptiones, et inde oriundos morbos tam acutos, quam chronicos inducunt.

§. III.

SICUTI gluten, a defectu aquoſarum atque oleoſarum partium debito ſpiſſius, fibras rigidiores et inde oriundos morbos gignit, ita nimia aquoſarum et oleoſarum partium copia, terreſtrium vero defectus raram cohaerentiam et relaxationem fibrae producit. Ob imminutam particularum terrearum cohaerentiam fibra laxa, elaſticitate caret; ad contractiones et dilatationes reciprocas ordinatas prorſus inepta, vel languidiſſime a-

*) Conf. IOS. LUD. ROGER *Specimen de perpetua fibrarum muſcularium palpitatione*, Gotting. 1760.

gendo, fluida tarde propellendo, eorum coagulationes, ſtagnationes, obſtructiones et cacochymias varias parit; vel ob debilitatem ad ſpaſmos valde procliuis, motus fluidorum inaequales, prauas mixtiones, congeſtiones cet. efficit. Poſſem cauſſarum et effectuum fibrae rigidae et laxae nexum pluribus adhuc verbis enumerare, ſed breuitati ſtudenti mihi haec pauca ſufficiant. Optime de hac materia perilluſtris van Swieten in commentario ad Boerhauii aphorismos de cognoscendis et curandis morbis ſcripſit. Haec pauca eum in finem praemittenda putabam, vt de ſomno protractiori hypohondriacis noxio ſcripturus, tam mali hypochondriaci cauſſas, quam rationes, quare ſomnus protractior hypochondriacis noceat, eo facilius explicare poſſem.

CAPVT II.

DE MALO HYPOCHONDRIACO.

§. IV.

HYPOCHONDRIACVM malum ἀπὸ τοῖς ὑποχονδρίοις ita nominatum, (alio nomine venit morbus litteratorum, qui ob vitam ſedentariam huic morbo obnoxii ſunt,) a feminarum hyſterica pasſione non multum diuerſum, ad morbos a fibrarum relaxatione oriundos referendum eſt. Sed primam eius originem ex abdomine et quidem hipochondriis ducit. Hepar enim, pancreas ac lien viſce-

viſcera ſunt, in quibus ob laxam vaſorum venoſorum ſtructuram ſanguis facile denteſcit, ſtagnat ac temporis progreſſu tandem penitus quieſcit, vnde bilis elaboratio, ſucci pancreatici ſecretio, ciborum digeſtio deprauata et connexarum actionum deiectiones oriuntur. Sed res accuratiori paullulum ſcrutinio et anatomica ſimul partium deſcriptione indiget.

§. V.

LIEN in hypochondrio ſitum ſiniſtro arteriam quidem a coeliaca accepit, ſed impeditior eſt in hoc viſcere licet ſano ſanguinis progreſſus. Laxum enim eſt, ac facillime, cauſſa quadam accedente, humores ob lentum circulum corrupti totam eius ſubſtantiam vitiant. Omnes eius venoſi rami collecti in vnam, per pancreatis ſulcum, accepto ſanguine ex hac glandula reduce, venam tranſeuntem ad venae portarum truncum ſanguinem mittunt. Is vero et alium ex meſenterio redeuntem ramum in omni omento, ventriculo, inteſtinis radicatum accepit. Truncus celluloſa GLISSONII capſula denſiore cinctus, formato ſinu, dat vniuerſo hepati ramos, omnem huius viſceris ſubſtantiam luminibus apertis permeantes. Apices eorum venae cauae vltimis ramis et ductus hepatici radicibus continui aliquam habent cum arteria hepatica, coeliacae ramo, anaſtomoſin. Illa eſt vas ſecernens, haec nutriens.

§. VI.

§. VI.

PECVLIARIS est venae portarum natura; valuulas habet nullas. Ergo arteriae venaeque fungens officio vehit reuehitque sanguinem. Sed et deficiunt fibrae musculares a veteribus fictae, nulla iis vis mouens propria est.

§. VII.

TALIS structura hepati necessaria est, vt venae portarum e sanguine per se iam spisso, spissiore facto ab omenti oleosis resorptis particulis, diluto tamen pauco alcalescente aquosiore lienis sanguine bilem elaborare possent. Fel enim, peculiaris humor, oleosis atque tenerioribus salinis particulis constans, acris, amarus atque saponaceus per sanguinis moram et incipientem putredinem natus est. Distinguitur in bilem hepaticam et cysticam. Cystis enim fellea, membranaceum receptaculum hepatis integumentis multa cellulosa tela adnatum, hepatico ductui continuum, in fouea hepatis circa lobulum anonymum haerens, pyriforme, ductu suo hepatico inserto, bilem hepaticam recipit, eaque refertur. Repleto ventriculo pylorum fundo suo adtingit; pyloro sursum eleuato, pressa, bilem per eundem cysticum meatum ad choledochum communem ductum reportat. Qui duodeno insertus, bilem, vbi pancreaticus succus aduenit, huic intestino infundit. Ita bilis acris, amara, saponacea, e ventriculo aduenientem chymum resoluit, diluta pancreatico

humo-

humore: blande irritando inteſtinorum tunicas motum periſtalticum auget atque hoc modo chyli elaborationi inſeruit. Pancreaticus humor eodem loco duodeno inteſtino infunditur, modo diuerſo ductu ac foramine modo iisdem excretus. Pancreas enim glandularum conglomeratarum maxima margine poſteriori lumborum primas vertebras, anteriori colon, ſuperficie ſuperiori ventriculum, inferiori duodenum, extremitate ſiniſtra lienem, dextra duodenum reſpicit. Ex acinis tela celluloſa nuptis conſtat, quorum ſingulus ductum excretorium in communem, Wirſungianum, terminatum habet.

§. VIII.

EX ante dictis, de indole amara bilis, diluente pancreatici et ſaponacea vtriusque ſucci, facile eorum coniunctos vſus intelligere poteris. In inteſtino enim duodeno e chymo ventriculi chylus, lacteus ſuccus elaborandus eſt. Chymum ergo pulti ſimilem ſuccum diluit et attenuat pancreaticus humor, incidentem vero virtutem bilis exſerit, et, vt partes oleoſae cum aquoſis intime miſceantur, vtrarumque conſortium ſubeundo efficit. Neque in fluidas tantum partes agunt, ſed ſolidas quoque, per vniuerſi inteſtini tubum blande ſtimulando, vegetiori periſtaltico motui inſeruiunt, variorum ſuccorum ſecretioni fauent, aluum praecipue apertam reddunt. Hos vſus infra fuſius explicabo.

§. IX.

SED humores in liene, hepate, pancreate et vniuerſo venae portarum ſyſtemate ſane ſtagnarent, niſi muſculorum abdominalium et diaphragmatis motu agitarentur. Muſculorum autem abdominalium et diaphragmatis in hepar, permagnum viſcus, hypochondrium dextrum et regionis epigaſtricae magnam partem occupans, actio, valde reſiſtente huius viſceris magnitudine et laxa vaſorum ſtructura, ita determinatur, vt iuſta fiat bilis ſecretio. Ceſſante vegetiore muſculorum abdominalium agitatione, humores in venae portarum ſyſtemate iuſto lentius progrediuntur, ſpiſſeſcunt, bilis iners ſecernitur, liquor pancreaticus corrumpitur. Corruptis pancreatico humore et bile in duodenum miſſis, impeditur chymi in chylum transmutatio. Nam, vti §. VIII. iamiam commemoraui, vt chylus laudabilis elaboretur, neceſſe eſt, vt pingues atque caſeoſae partes cum aquoſis mediante ſaponaceo quodam humore commiſceantur: bilis vero et liquor pancreaticus, ſaponacei humores, oleoſis atque ſalinis particulis conſtantes, optime hanc opem praeſtare poſſunt: praeterea bilis ob alcalinae naturae principia acidam primarum viarum materiam corrigit, ob temperatam acredinem valde ſenſiles ac maxima irritabilitate praeditas inteſtinorum tunicas vellicando, mucum abſtergit, excretioni aluinae inſeruit, poros atque villos, chylum reſorbentes, ſua titillatione aperiendo, chylum reſoluendo, eius per vaſa lactea, ciſternam lumbarem, ductum thoracicum et ad

ſan-

ſanguinem meatum promouet: contra bile et pancreatico humore corruptis, laudatae vtilitates pereunt omnes.

§. X.

HVMORES itaque dum per lienem, iecur, et pancreas, in vitae otioſae atque ſedentariae adſuetis lentius progrediuntur, facile ſiue ſpiſſeſcunt, ſiue alio modo corrumpuntur, atque malum hypochondriacum radices agit, primas quidem ſine notabili aegrotantium incommodo, quoniam memorata viſcera paucis neruis donata ſenſu exquiſitiori prope carent. Sed temporis progreſſu hepar, ob pondus auctum, diaphragmatis actionem reddit moleſtam: magnae inde in hypochondriaco reſpirationis difficultati coniuncta anxietas. Praeter ea octauum neruorum par, quod circa cardiam ductum eſt, a ſanguine in ſyſtemate venae portarum ſtagnante et in vaſis breuibus, quae lienem et ventriculum coniungunt, congeſto, valde preſſum anxietatem parit. Viſcerum denique abdominis arterioſi tubuli vbi ſpaſmo conſtringuntur, deſcendens inſuper aortae truncus per flatus vel retentas feces ſi comprimatur, ſanguinem in ſiniſtro cordis ventriculo et vena pulmonali retardant, adeoque non tantum angoris cruciatuum cauſſae ſunt, ſed etiam, impedito et progreſſu ſanguinis in pulmonis arteria, et hinc in ramis ſuperioris venae cauae regreſſu, congeſtiones verſus caput, actionum animalium laeſiones et haud raro efficiunt ophthalmiam. Bile vero et pancreatico ſucco corruptis connexa mala omnia, vt deprauata digeſtio,

 flatus,

flatus, ructus acidi, tensiones spasticae, dolores cardialgici atque colici, pertinax quoque modo alui obstructio, modo diarrhoea, itemque vomitus sensim sequuntur. Ventriculi atque intestinorum fibrillae, vel intermisso motu languescentes vel ex spasmis debilitatae, vniuersum neruorum systema in consensum trahunt. Adhaec minima intestinorum et mesenterii lymphatica vasa ac serosa, itemque Brunnerianae glandulae, Peyerianae et mesaraicae cum maximo secretionum aeque ac excretionum naturalium detrimento obstruuntur.

§. XI.

ITA laesa digestione, debilitato ventriculo et intestinorum ductu, obstructis vasis minimis et glandulis, impedito humorum per abdomen commeatu, tardato atque stagnante chylo in vasis lacteis et ductu thoracico, sanguis blandam ac roscidam indolem, ad nutrientis lymphae ac subtilissimi mobilissimique neruorum fluidi secretionem necessariam, amittit. Sanguis enim hypochondriacorum vena emissus nigricantis coloris est, adeo spissus, vt difficillime profluat, statimque citra serum supernatans coaguletur. Nutricia lympha, quae fibris gluten suggerit, hinc partibus solidis cohaerentiam, firmitatem, elasticitatem atque tonum largitur, sanguini in vasis vltimis detrahitur. Minima autem ac tenerrima lymphatica vasa, vbi a neruorum systemate, quod in hypochondriaco morbo admodum patitur, spastice contrahuntur, lymphae ad fibram adpositioni accretionique, transitu

eius

eius intercluſo, obſtant easque morantur. Lympha vero ob deperditum ſanguinem, terrea parte valde imminuta, iuſto aquoſior eſt. Quodſi a ſanguine enim ſpiſſiore exſugitur lympha, tamen ob ipſam eam cauſſam iuſto tenuior eſſe poteſt. Namque in maioribus vaſis adeo viſcidus eſt ſanguis, vt vaſa minora tranſire nequeat, ad minima vero ac euacuata fibrarum interſtitia nihil, niſi iners liquidum, oleoſis et mucoſis partibus deſtitutum, demittat. Vnde cunctarum fibroſarum partium robur deiicitur. Neque ſilentio hic praetereundum, calorem, vegetiorem fluidorum in ſolida actionem ſaliumque ſtimulum, vtpote motus fibrarum cauſſas, deficere.

§. XII.

PARTIVM ſolidarum, in primis vero neruorum, robore perdito, omnes actiones turbantur. Renum tubulis ſpaſtice conſtrictis oleoſae particulae praecluduntur, terreae remanent; vnde vrina modo, valde limpida fit et magna copia percolatur, modo remittentibus ſpaſmis, multis referta ſordibus craſſis eiicitur. Tranſpiratio modo fere nulla, modo Φλογωσεις ac ſudationes. Pulſus omni fere tempore debilis, nunc celer, nunc plane intermittens, reſpiratio, vti modo enucleaui, anxia. Animae actiones, ſenſuum internorum aeque ac externorum robore amiſſo, imbecilles ſunt. Aurium adeſt ſurditas, modo tinnitus, oculorumque obſcuratio, totius corporis magna hebetudo. Ingens ſaepius ad ſomnum procliuitas, interdum vigiliae. Debilitatis in-

ternis ſenſibus, iudicio atque memoria deficientibus, imaginatione extra orbitas vagata, animus inconſtans eſt, alternis vicibus vecors, triſtiſſimus, timidus et laetus, immo audax. Nerui nimirum quum vniuerſi corporis tum maxime ſenſorii communis, debiles nunc ſpaſmis conuelluntur, nunc remiſſis motibus ſpaſticis relaxantur adeo, vt omni fere motu ac ſenſu careant. Inde etiam frequentes vertigines, animi deliquia, perſaepe quoque conuulſiui muſculorum motus hypochondriacis ſuperueniunt. Plura adhuc ſymptomata, cadaueroſum partium externarum frigus, nocturni ſudores, ſaliuationes, externarum partium tum dolores, tum tumores cet. ſuboriri ſolent.

§. XIII.

AD antecedentes cauſſas vita ſedentaria pertinet atque otioſa, deinde diuturniores ac profundae meditationes, tum immoderata animi παθηματα, in primis triſtitia excarnificans, inconſulta intermittentis febris curatio, praeter ea cibi crudi, glutinoſi, flatulenti atque acidi, itemque pingues, potus fibras relaxans, vti aquoſa infuſa calida, praecipue herbae Theae immodice hauſta, vel potulenta compluribus inquinata fecibus, vt cereuiſiae male coctae ac fermentatae, atque omnia denique, quae bilem inertem gignunt, digeſtionem debilitant, neruorum ac fibrarum virtutes infringunt, viſcerumque abdominis obſtructionem inducunt. Sed ad has cauſſas tum muſculorum etiam motus vel pauciores, vel pro ſubiectorum viribus nimios, tum vigilias immodicas, et praeſertim ſomnum protractiorem cenſeo eſſe referenda.

SE-

SECTIO II.

SOMNVS PROTRACTIOR HYPOCHONDRIACIS NOCET.

CAPVT I.

DE MOTV ET VIGILIIS.

§. XIV.

CAVSSAS, quare ſomnus protractior hypochondriacis noceat, explicaturus non ab re fore duxi, de vigiliis et motu muſculari non nulla praefari propter ea, quod modici muſculorum motus emolumenta manifeſte docent ſomni protractioris noxas.

§. XV.

NERVI ſunt, canales illi fluido ſubtiliſſimo pleni, et in teretes faſciculos ac longos, qui omnes funium inſtar e cerebro, cerebello, medulla oblongata et ſpinali ducuntur, collecti ac deuincti, quorum innumeri atque inuiſibiles ramuli per totum corpus diſperſi ſunt, hi, inquam, ſunt, quorum auxilio anima ſentit et muſculos regit. SENTIRE vero animam dicimus, ſi mutationes percipit neruis, qui in quinque ſenſuum inſtrumentis diſtributi ſunt, impreſſas. Ad perceptionem itaque requiritur, vbi neruus quisquam a re obiecta impellitur, prae-

ſertim neruei fluidi motus, eiusque ab vltimo nerui fine vſque ad primam eius originem propagatio. Cerebrum enim et nerui omnis et ſenſus vltima origo. Atque hic neruorum in cerebro ortus pro ſede animae, ſenſorio communi, recte habetur.

§. XVI.

RATIONEM, qua anima, ſubſtantia immaterialis ratione praedita, mutationis corporeae particeps fiat, quamquam non intelligamus, tamen pro ſingulo obiecto, quod animae repraeſentatur, propriam eſſe ſenſorii communis fibrillam, quae mutationem recipiat, receptam alat, ita vt temporis mora debiliorem factam anima ſua ſponta in vigorem priſtinum reſtituere poſſit, probabile eſt. Haec hypotheſis tam rerum praeſentium, quam anteactarum ideas, ipſasque meditationes egregie explicat. Rerum praeſentium conſcium eſſe, haud difficile, immo etiam nolente me, niſi profundioribus cogitationibus detinear, neceſſarium eſt. Semper enim res externae circumdatae mutationes in organis ſenſoriis efficiunt, quas ego euitare non poſſum. Accidit etiam, vt praeteritarum rerum imagines, me inuito, iterum inſtaurentur et in mentem recurrant. Sed habet homo prae ceteris animantibus facultates animae atque operationes ſublimiores, easque homini proprias, illas diuinae imaginis reliquias, vt cum ratione velle, notiones claras ſenſu comprehenſas enodare et diſtinctiores reddere, iudicium ferre, et ex iudiciis iam notis nouas formare concluſiones.

Hae

Hae vero mentis operationes etſi animae, vt ſpiritui, abſolute contingant et ab ea ſeparari non posſint; quoad tamen homo viuit, anima ad libere eas exercendas corporis integritate indiget. Id quod vſus et experientia adeo luculenter demonſtrant, vt nulla alia opus ſit ratiocinatione philoſophica. Debilitato enim corpore ſuam quoque animae vires alacritatem amittunt. Ceterum ad reliquam idearum geneſin tranſeo. Eam animae facultatem, qua rerum ante perceptarum, abſentium, ſuo quamque ſibi nexu atque ordine iterum repraeſentat, IMAGINATIONEM VOCAMUS SANAM. Interim anima ideas non tam extrinſecus, quam ab interna cauſſa, a vitioſa praeternaturali communis ſenſorii diſpoſitione, non numquam accipit, vnde deliria pro diuerſis cauſſis varia, acuta et chronica. Alia tamen motus muſcularis ratio eſt. Is enim perficitur, ſi anima pro arbitrio ita diſponit neruum, vt oriatur mutatio ea, quae motum producit muſcularem. Dum itaque fungitur homo actionibus animalibus, ſiue dum per ſenſus externos externas ſibi res repraeſentat, et interno ſenſu adpercipit, ac ratiocinatur muſculorumque motus exercet, vigilare dicitur.

§. XVII.

COMMODE hic pauca etiam de *ſenſibilitate* et *irritabilitate* innecti poſſe arbitror. Paullo ſupra ſentire animam diximus, ſi, quae ſenſuum organa feriunt, res circumiectas percipit. Itaque partibus, quae mutationes ſibi impreſſas animae per neruos communicare poſſunt, SENSIBILITAS tribuitur.

Sed

Sed haec, ſi oſſa, dentes, et minus organice concretas partes, vt cuticulam et telae celluloſae lamellas exceperis, vniuerſi corporis partibus communis, valde differt gradibus. Non nullis enim partibus ſenſibilitas ineſt maxima. Contra aliae partes ſentiendi facultate minima, mouendi maxima gaudent. Ita cor leni ſanguinis ſtimulo ad tam validos motus excitatur, de quo tamen nihil ſentit. Idem illud de arteriis apertum eſt. Aliis partibus par ſentiendi mouendique facultas, vt ventriculo, inteſtinis cet. Muſculis, qui motui voluntario inſeruiunt, anima per neruos imperat. In quibus etſi ingentes contractiones a copioſius adfluente neruorum fluido cernuntur, quae certe aliis corporis animantis partibus dolorem darent longe vehementiſſimum; tamen muſculi a motu voluntario fere nihil, niſi delaſſati ſentiunt. Hinc ſenſibilitas ab irritabilitate diſtinguenda eſt. Sentiendi facultas neruorum fluido ſubtiliſſimo ac mobiliſſimo tribuenda, irritabilitas autem fibris.

§. XVIII.

IRRITABILITAS ea fibrarum corporis animati vis eſt, per quam re aliqua tactae palpitant. Hoc fibrillis, praecipue muſcularibus et membranis, quae eiusmodi fibrillas conſpicuas habent, prae ceteris proprium eſt. Quae, quaeſo, vis, haud neruis, qui fibrillis annexi ſunt, iisque ſolis, ſed potius elaſticitati debetur, ſi inſignes illas ac continuas contractionum et relaxationum viciſſitudines, poſt

mor-

mortem cogitamus, iam omni fere perdito neruorum fluido, perdurantes. Quantine cordis et musculorum, qui a voluntatis pendent imperio, itemque ventriculi et intestinorum motus exsistunt, exanimatis iam animantibus diu superstites? Attamen augetur, conseruatur et viget irritabilitas neruorum robore.

§. XIX.

DISCRIMEN, quo animales actiones ab iis internoscimus, quae non nisi mechanice eueniunt, seu quae animi imperio, cuius nempe homo sibi conscius est, non subsunt, mihi quidem illud, quod *irritabilitatem* vocant recentiores, esse videtur. Quod ad vitalia enim organa ac naturalia adtinet haec MECHANICA VI agunt, in primis elasticitate sua, qua fluidorum stimulis resistunt. Nihilo minus non nulla, maxime organa genitalia, cum actionibus animalibus consensum omnino magnum habent, quem ad modum animi παθηματα luculenter demonstrant. Fibrae atque elasticae partium tam vitalium quam naturalium membranae languescunt, languentibus e lucubratione, curis vel moerore neruis: quantis spasmis autem ira constringuntur, et cupidine flagrante! Tensionem modicam et blandum motum ac aequabilem conciliat voluptas. Haec atque alia, quae sunt generis eiusdem, ab vniuersali neruorum omnium, qui inter elasticas fibras atque irritabiles dispersi sunt, cum sensorio communi consen-

 sione

ſione quin proficiſcantur, qui dubitet, puto fore neminem. Certiſſimum quoque eſt, irritabilitatem praecipue de elaſticitate partium exſilire, quum et corpora non animata, vt plantae praecipue, irritabilia eſſe videantur. Quae enim irritabilitas herbae, quae ſenſitiua audit, tribuenda eſſe videtur, quam vel leuiter tactam penitus ſeſe ſtatim contrahere cernimus.

§. XX.

VOLVNTARIVS muſculorum motus exſiſtit, ſi ad arbitrium animae tum maior in neruos fluidi ſui penetratio, tum oborta elaſticarum fibrarum muſcularium, quae irritabiles ſunt et iis neruis adnexae, contractio conſociatae fuerint. Ex hac enim theoria, quae in muſculorum motibus cernuntur phaenomena explicari poſſe optime, exiſtimo. Intelligitur hac de cauſſa, quid ſit, quod in motu muſculus modo breuior, modo craſſior, modo durior euadat.

§. XXI.

EXPOSITIS hactenus actionibus animalibus, ad effectus, qui in totum corpus inde redundaturi ſunt, non nihil explanandos progredi mihi liceat. Homo dum vigilat, et quoad incolumi fruitur ſanitate, libere muſculos et ſua ſponte, quemadmodum ſupra dixi, exercere valet, ſenſus vero rerum obiectarum, quibus impelluntur, imagines mira quadam celeritate hauriunt, quas deinde animus percipit, perceptas philoſophi idearum

nomi-

nomine insigniunt. Praeter ea in vigilantibus mens imaginatur, recordatur, et iudicat comparando obiecta clare cognita: tum fingit, vel discrimina obseruat, vel ingenio ludit, praeuidet et praesagit viuide: descendit etiam animus ab iis rebus, quae sunt, secundum naturam collatione rationis, ratiocinatur, excogitat, ordinat — cet. Iam de his actionibus explicabo effectus, quos in sano pariter atque morboso corpore, praesertim vero in hypochondriacis videmus. Sed quoniam, quod quisque perspicit, alia temperatae moderataeque actionis efficientia est, alia autem quae profusum et nimium motum animalem consequitur; singulorum effectuum ratio speciatim est enodanda. Tantisper dum itinera fluidi neruei libera sunt, dum liquor ille neruinus per cerebrum atque mobilis nerui ductum inoffenso adfluxu deuehitur, vires animi vigent; modica meditatione interni sensus acuuntur; nerui ita leniter agitati roborantur, et ob neruorum consensum ceterarum quoque actionum in suo quaeque vigore conseruatur ac retinetur integra. Fac autem, intentionem acris mentis et sagacis in cogitationes, adtentionem, ac grauiora studia immodicam, insatiabilem esse atque continuam, fac, quemquam vehementer angi et solicitari curis, vel moesta praeteritorum ruminatione, vel tristi metu futuri excarnificari et in perpetua animi aegritudine versari; is, quum systema neruorum nimis adfectum sit, tam animae virium, quam corporis iacturam faciat, dissipato neruorum fluido, necesse

 est.

eſt. In primis hypohondriaci acerba triſtium crudelitate vexantur, cogitatum, quod forte in mente ſuboritur, accreſcit, ſubinde grauius fit et durat quam diutiſſime. Itaque hominibus eiusmodi potiſſimum prodeſſe iudico, vt hilari ſenſatione et variis animi oblectationibus fatalia phantaſmata etiam atque etiam diſpellere curent. In primis vero et de induſtria meditationes euitandae ſunt profundiores. Colloquia amicorum laeta, loca amoena, itinera iucunda, faceti ioci et argute dicta, carmina, quae ſuauiter adliciunt, clara voce et poetice decantata, et, quae ſunt generis eiusdem, plurima, quorum ope hilares ſenſationes, imaginationes praeuiſionesque facile clareſcunt, hypochondriacis conducunt quam maxime. Quam ob rem muſices delicias, nitida picturae ſimulacra, et ſingula rerum iucundarum oblectamenta illis ſuaderem. Contra ea nocturnae vigiliae, praecipue longiores, in diſcrimen et periculum vlterius deducunt, qui hypochondriaco morbo ſunt impliciti. Namque quum ex nociua exhalationum copia atque temperie aëris de nocte et prima luce frigidiore, tum etiam e nimia in communi ſenſorio fluidi neruei diſſipatione morbus ille non poteſt non ingraueſcere et reddi exſpectatione diuturnior.

§. XXII.

MVSCVLORVM motu modico firmitas eorum atque robur magnopere augetur. Primum enim nerui, deinde etiam fibrillae ſeſe reficiunt ac confirmantur: ſiquidem tam hae, quam illi tantis-

per,

per, dum moderata exercentur motione, perpetuo neruini liquoris adfluxu abundant, cuius copia crescit nerui tonus, tonum fortiorem maior sequitur fibrillae vicinae in contractionem nisus, contractionis vero et relaxationis alterna vicissitudine fibrae vigent. Nam gluten inde tenacius redditur, magisque firmatur fibrarum elasticitas: fibrae confricantur, calor, motus fibrillaris caussa, subnascitur. Qua de caussa praeclare CELSVS*: *prima autem* (imbecillis) *curatio exercitatio est.* In malo hypochondriaco plerumque ingens obseruatur neruorum musculorumque debilitas. Quum itaque tonus pariter atque firmitas neruorum et fibrillarum muscularium musculorum motu insigniter augeantur; si quid vmquam ad sanitatem hypochondriaci fuerit, id profecto fore musculorum motum luculenter adparet. Ipsa cadauerosi vis frigoris, quae, SYDENHAMO teste, extremas hypochondriaci partes occupat, aucto fibrarum motu felicius pellitur. Sed quamquam motus muscularis dictas praestet vtilitates, idem tamen nimius atque diutius protractus neruorum fluidum magis, quam meditationes dissipat. Deinde fibrae gluten, flexilem mobilemque fibram reddens, musculorum adfrictu fibrae interstitiis eripitur, eripiuntur et ipsae terreae fibris particulae, neque vero nouum gluten sub violentiori motu facile restauratur. Inde illustr. ab HALLER in *primis lineis Physiologiae*, Capite *de motu musculari* §. CCCCXIX. ita disserit: *multa vero actione et ipsi musculi indu-*

* *Lib. I. Cap. II.*

durantur, tendinescunt vndique, et partes, quibus imponuntur, cartilagineas, membraneasque in osseam naturam mutant, ossium processus et asperitates augent, plana apposita excauant, cellulas ex diploë dilatant, curuant in partes suas. Maxime vero fibrillarum adfrictu nimio nimius accenditur calor. In malo hypochondriaco quamquam fibrae laxitas minuenda, tonus augendus, et fibra paullo rigidior reddenda; nimia tamen rigiditas ab excedente motu oriunda euitanda, ne corporis vigor contrario modo debilitetur. Calor quoque nimius hypochondriacis nocet, quoniam fluidum nerueum dissipat, humores expellendo fluidiores partes inspissat, lympham consumendo fibras iusto rigidiores reddit atque debilitat. Inde THOMAS SYDENHAMVS vehementiores corporis motus ad caussas mali hypochondriaci refert.

§. XXIII.

MVSCVLOS multi generis vasa permeant, quae constrictione musculorum pressa circulum humorum celeriorem reddunt. Venae muscularibus fibris atque membranis minori elasticitate quam arteriae praeditis, hinc et vi sanguinem propellendi propria destitutae, vim, qua humores mouent, potissimum a motu musculorum voluntario mutuantur. Motu voluntario aucto, augetur sanguinis ad cor per venas regressus; reuecta autem maiori sanguinis ad cordis ventriculos copia, cordis arteriaeque systole ac diastole mutua, ob cordis irritabilitatem augetur. Sanguis resoluitur, miscetur eamque

nan-

nancifcitur indolem, quae ad fluida fecernenda varia neceffario requiritur. Sed cauendum, ne nimis veloci mufculorum motu, fanguis nimio impetu verfus cor ruens, enormes palpitationes, febres et virium defectionem inducat. Inde motus arbitrarius moderate inftituendus. Moderatus enim idcirco quoque in malo hypochondriaco prodeft, quoniam venofi fanguinis progreffum auget. Hypochondriacorum fcilicet fanguis lentus, vifcidus, ftagnaturus, probe mifcendus, diluendus et accelerandus eft. Id quum motu perficiatur mufculari, elucet, quantum fructum hypochondriaci inde capiant.

§. XXIV.

INTER arteriarum fines infigniora lymphatica vafa funt, quae ob minorem diametrum globulos rubicundos non admittentia lympham fanguine tenuiorem, albuminis ouorum inftar, pellucidam vehunt, fibrarumque vacua interftitia, lympha in gluten iam permutata referciunt. Quibus accedunt vafa lymphatica venofa, quae tenuiorem glutinis partem aquofam ac fuperfluam reuehunt, vt gluten debitae denfitatis ac fibra fortis nafcantur. Eius generis lymphatica vafa, fibras nutrientia, magna in copia mufculi habent. Si itaque mufculus mouetur, hic motus lymphae progreffui, glutinis genefi, fibrae robori et lymphae fuperfluae per venas regreffui inferuit. Hypochondriacorum mufculi faepius, altius iam radicato malo, tam debiles funt, vt epileptici mo-

tus

tus accedant, alio vero tempore, remissis motibus spasticis aegrotantes corpore vniuerso langueant. Neque dubitandum, hoc symptoma fibrarum muscularium ac neruorum debilitati tribuendum esse. Omne ergo, quod fibras strictiores reddit, gluten condensando tonum restituit musculosque vegetos reddit, hypochondriacorum conuulsiones sanat. Illud vero quum motus praestet muscularis, hypochondriacis conducit. Sed cauendum ne nimio atque diuturniori motu lympham corrumpamus, gluten nimis spissum fibramque rigidam reddamus, quod facillime fit, si impetuosius accelerato humorum progressu, nobiliorem lymphae partem per cutis spiracula expellimus. Ergo exercitatio moderata suadenda, immodica euitanda.

§. XXV.

CITATVM humorum circulum excretioni per cuticulares meatus quidem fauere experientia omnino docet. Sed velocior ille cum motu arbitrario coniunctus dilatando vasorum diametrum constringit eorum vltimos fines, ideoque exhalationi Sanctorianae quodammodo impedimento est. Insensibilem itaque transpirationem corpore modice exercitato iterumque quiescente maiorem, corpore autem magis aestuante minorem esse, obseruamus. Vi vero, atque impetu humorum maximum in gradum auctis, hanc ostiorum constrictorum resistentiam superantibus, sudor, in guttulas nimirum collecto vapore, eiicitur, multum

olei,

olei, aquae humoribus diluendis neceſſariae et materiei, quae fluidi neruei elementum eſt, expellitur. Motus ergo mediocris tranſpirationi fauens hypochondriacis ſalutaris eſt, quoniam multas nociuae indolis ſordes excernit. Neque contemnendus, qui hunc paullisper ſuperat, quamquam enim dilatando principia vaſorum conſtringat poros cutis, poſtea tamen quieſcenti iam aegroto ſalutarem diapnoen conciliat. Sed euitandus velociſſimus, ſudorem prouocans. Quum enim oleum, lymphae nutrientis nobiliſſimam partem, aquam et tenue illud neruorum fluidum expellat, hypochondriacorum fibras per ſe iam debiles, imbecilliores reddit, humores lenteſcentes magis inſpiſſat, neruorumque robur debilitat.

§. XXVI.

MOTVS humorum duplex eſt, alter progreſſiuus, alter inteſtinus. Progreſſiuus a contractione ac relaxatione mutua cordis et arteriarum dependens, motu arbitrario valde augetur. Muſculi enim animae iuſſu contracti comprimendo venas, muſculos permeantes, ſanguinis motum verſus cor accelerant; deinde maiori ſanguinis copia ad cor peruenta, cordis ſyſtolae ac diaſtolae mutua augetur, ſanguisque velocius per arterias propellitur. Quare hypochondriacis valde ſalutaris eſt moderatus motus, iis enim cor et vaſorum ſyſtema debile, humorum progreſſus lentus ac languens. Inteſtinus iterum duplicis generis eſt. Primum ortum ducit a progreſſu humorum, dum

 par-

partes ſalinae, terreae, aquoſae, oleoſae vorticoſo motu agitatae miſcentur, vt ſanguis, humor ſero cruore tincto rubicundus, calidus ab euolutione ignei elementi, naſcatur. Hic motus ab arbitrario egregie prouocatur atque ſuſtinetur. Ex eiusmodi vero elaborato ſanguine humores fere innumeri ſecernendi ſunt, quod vt fieri poſſit, moderatiori omnino in vaſis minoribus progreſſu indiget, vt leuiores a grauioribus, ſubtiliores a craſſioribus, heterogeneae ab homogeneis recedant, nec coarctatis, ab impetu vaſorum minimorum finibus aut in alius generis vaſa meatibus, globulorum maiorum tranſitus praepediatur. Hic motus a progreſſiuo non dependens quidem impeditur muſculari exercitatione maiori, ſed quum prioris generis inteſtino motu indigeat, ſequitur modice inſtitutum muſculorum motum, huic quoque, quamquam remote, fauere. Hypochondriacis cacochymia viſcida laborantibus, motus muſcularis moderatus idcirco quoque ſaluberrimus, vt ſanguinis ceterorumque humorum particulae ſpiſſiores, finibus vaſorum impactae promoueantur, et cum fluidioribus miſceantur. Cui indicationi quoque ſapones egregie inſeruiunt, qui ceu ſalina et oleoſa corpora, cum aqua atque glutinoſo obſtruente conſortium ſubeundo, vtrasque, alias mutuam commixtionem reſpuentes partes commiſcent. Deinde vero, vt ſecernantur fluida hypochondriacos roborantia, lympha nutriens in vniuerſo corpore, neruorum fluidum in cerebro, cerebello, medulla oblongata et ſpinali,

glan-

glandularum ſaliuales humores, liquor gaſtricus per arteriarum lymphaticarum oſtia, mucus inteſtinorum ac ventriculi parietes obducens, ſuccus pancreaticus, hepaticus et cyſticus, vt elaboretur chylus cet., requiritur dulcis quies, poſt motum muſcularem inſtituenda atque ita moderanda, ne nimia ſit, ſed vt antecedenti exercitationi reſpondeat. Poſt modicam talem quietem iterum corporis exercitium ineundum.

§. XXVII.

PRAESTANTISSIMVS autem exercitationis effectus eſt, eius in viſcera abdominalia efficacia: et propter ea maxime hypochondriacis ſuadenda eſt. Muſculi enim abdominales inter ambulandum continuo contrahuntur et relaxantur. Ergo ſubiecta abdominis viſcera concutiendo, ventriculi in cibos et duodeni in chymum et ceterorum inteſtinorum in ſecernenda et excernenda fluida actionem adiuuant; lente in hepate, liene, pancreate, meſenterio procedentes humores accelerant; inde bilis, pancreatis et ceterarum glandularum ſucci et chyli ſecretioni fauent. Aucto motu muſculorum abdominis et augetur perpetua fibrarum muſcularium palpitatio Rogeriana; ergo etiam fibrillarum mutuo adfrictu et inde pendente ignearum partium maiori euolutione calor non in muſculis tantum abdominis increſcit, ſed quoque fluidae partes, magis calefactae, in abdomine circulantes, omnia, quae permeant, viſcera fouent. In ventriculo vero auctus calor diſſoluit ingeſta.

 Nam

Nam aërem in cibis haerentem extendendo, atque ex interstitiis alimentorum profligando, liquorum salivalium, gastrici et potulentorum in evacuata interstitia introitum patefacit. Nec soli abdominis musculi, sed eodem tempore et diaphragma maiori vi in subiectas abdominis partes agunt. Motu enim musculorum augetur sanguinis venosi ad cor dextrum regressus, ex corde dextro in arteriam pulmonalem propulsus, maiori vero sanguinis copia ad pulmonem perventa, respiratio, secundum physiologica principia frequentior est, et diaphragma celerius descendit et adscendit. Itaque vt taceam, maius pulmonibus per motum musculorum conciliari robur et sanguinis optimam indolem inde enasci; nulla in abdomine fibrilla, nisi iam nimis debilitata sit, cogitari poterit, quae toties concussa non aliquid roboris adquirat, nullum vas, nisi iam penitus induratum, adeo obstructum, vt actionis musculorum vi a sua mole liberari nequeat. Ergo SYDENHAMVS optimam mali hypochondriaci curationem equitatione absoluit.*

§. XXVIII.

IAM intelligimus, quare motus vigiliaeque moderatiores prosint, immoderatiores noceant. Restat vt signa indicemus, quibus cognosci possimus, an satis exercitationi indulserint sani aegrique? Vigiliae et lucubrationes ne vltra sensuum vtrorumque lassitudinem protrahentur, cavendum;

* Conf. EIVS differt. epistolar. *de adfectione hysterica* pag. 414.

dum; citra insignem animi morositatem quieti se tradant imbelles. *Exercitationis autem*, CELSVS ait, *plerumque finis esse debet sudor aut certe lassitudo, quae citra fatigationem sit: idque ipsum modo minus, modo magis faciendum est. Ac ne his (imbecillibus) quidem athletarum exemplo, vel certa esse lex, vel immodicus esse labor debet.* Regulae infirmis aeque ac sanis proficuae! Obseruandum quoque, secundum SYDENHAMVM maiora indies spatia gradatim conficienda. CELSO* enim monente, *neque ex nimio labore subitum otium, neque ex nimio otio subitus labor, sine graui noxa est. Ergo quum quis mutare aliquid volet, paullatim debebit adsuescere.*

SECTIONIS II.

CAPVT II.

DE SOMNO ET CAVSSIS, QVARE SOMNVS PROTRACTIOR HYPOCHONDRIACIS NOCEAT?

§. XXIX.

PRIMO huius dissertationis capite morbos quosdam, quibus fibra solida laborare possit, explicui. Dixi fibram vel nimis rigidam, vel nimis laxam esse. Deinde vero caussas vtriusque morbi indi-

* *Lib. I. Cap. III.*

indicaui. Ad cauſſas relaxationis quietem et ſomnum nimium retuli. Capite ſecundo ortu, progreſſu, cauſſis et ſymptomatibus mali hypochondriaci explicitis, praeſertim probatum eſt, magnam cum malo hypochondriaco coniunctam eſſe partium ſolidarum relaxationem. Iam iam demonſtrandum erat, ſomnum protractiorem fibras nimis relaxare et hanc ob cauſſam hypochondriacis nocere. Priori ergo capite oſtendi, vigilias et motus moderatiores imbecillibus, praecipue hypochondriacis, eſſe valde proficuos. Inde iam intelligi poſſet, quantum quies et ſomnus protractior infirmis et malo hypochondriaco adfectis noceret. Sed veritas eo clarius patebit, ſi ex ipſa ſomni natura effectus ſomni protractioris noxios in malo praecipue hypochondriaco apertius non nihil deduxero.

§. XXX.

SOMNI natura quamquam perobſcura ſit; ex phaenomenis tamen coniunctis, muſculorum et ſenſuum tam internorum quam externorum quiete, adparet, ſomnum optime per actionum animalium quietem definiri. Eius vero ratio in ſenſorio communi quaerenda eſt. Neruei enim canales per motum et eam actionem, quam durantibus vigiliis praeſtant, fluido ſubtiliſſimo priuantur; neque eodem tempore fluidum nouum tanta in copia ſecernitur, quanta ad perficiendas actiones animales requiritur; atque, dum fibrillae totius corporis ob gluten motu et vigiliis amiſſum

nimis

nimis ſtrictae ſunt, etiam neruorum canales nouo nutritu et relaxatione quadam indigent. Nam ſi lympha motu et animae exercitatione diſſipata ſit, et gluten fibrae flexilitati atque elaſticitati inſeruiens deficiat; puncta, quibus fibrarum terreae particulae cohaerent, augentur, fibra denſior ac rigidior euadit. Inde fibra muſcularis, priuata glutine, debiliori neruo reſiſtit, adeo, vt anima moleſtum ſenſum inde percipiat: quae hinc lubens neruos et muſculos quiete frui ſinit.

§. XXXI.

PRIMVS ergo ſomni effectus erunt neruorum ſenſorii communis relaxatio et temperatior fluidi neruei motus. Si omnia ſenſorii communis organa quieſcunt, *ſomnus* eſt *perfectus*: ſi vero vna aut altera ſenſorii fibrilla ab obiecto quodam ſtimulata palpitat et ceteras in conſenſum trahit, ita vt animae variae ideae durante ſomno repraeſententur, vel etiam artus moueantur, *ſomnus imperfectus* nominari poteſt. Alia ratione ſomnum in naturalem et praeternaturalem diuido. *Somnus naturalis* eſt, qui in ſanitate poſt motum et vigilias ſuperuenit, *praeternaturalis* vero, qui cauſſis debetur, quae liberum fluidi neruei motum tollunt. Tales cauſſae vel externe neruum comprimunt, vti ſanguinis in encephalo a quauis cauſſa expanſio et congeſtio nimia, nec non ſanguinis ſpiſſi grauitas cet., vel interne in nerui ipſius ductu aut initio eiusdem quaerendae ſunt, quo pertinent defectus fluidi neruei, a gra-

uio-

uioribus, tam acutis quam chronicis, morbis transactis, aut ab euacuationibus nimiis, aut inedia dependens; obſtructio in vaſis encephali ſecretoriis, et ipſorum neruorum initiis errore loci contingens; nimia a frigore orta fluidi neruei denſitas; itemque fibrillarum tam neruearum quam muſculoſarum laxitas.

§. XXXII.

A FIBRARVM neruearum ſenſorium commune conſtituentium relaxatione et moderatori fluidi neruei motu omnes reliqui ſomni effectus dependent, quos ſingulos mox recenſeamus. Senſorii vero communis quies, ſiue ſomnus, neceſſaria eſt, vt fibra ante ſtricta, nouo accedente glutine, obduci, mollior ac flexilior et ad motum libere perficiendum magis idonea fiat, et tanta fluidi neruei copia colligatur, quanta actionibus administrandis ſufficit. In fibra enim neruea, animi labore ſtricta, glutine conſumto, terrearum particularum contactus puncta in fibris adeo aucta erant, vt nouo glutini aditus praecluderetur; neque conſtrictus nerueus tubulus fluidum recipere poterat: ſi vero fibra magis adhuc ſuo glutine priuata eſſet, tanta laboraſſet rigiditate, vt exorta forti tenſione diruptionis metus adfuerit. Aditus autem lymphae nutrientis ad fibrae terreas particulas et fluidi neruei ad neruum, durante quiete, patefactus eſt, et gluten laxiorem quidem, ſed et tenaciorem particularum terrearum cohaerentiam, flexibilitatem et elaſticitatem reſtituit. Ergo ſecun-

cundus somni moderati effectus est, virium animae restauratio. Vnde valde salutaris esse solet hypochondriacis animi commotionibus laborantibus animae modica quies; παθημασι enim strictae nerueae sensorii communis fibrillae iterum relaxantur, glutine flexiles atque elasticae fiunt. Caussam etenim, quare hypochondriaci animo potissimum aegrotant, nimiam fibrarum sensorii communis debilitatem esse non dubito. Itaque relaxatio aliqua proficua strictis neruis esse quidem potest: at somno diutius protracto fibrae nimis relaxantur et anima vigorem amittit. Ergo somnus modicus hypochondriacis conducit, protractior autem nocet. SYDENHAMVS * commode, *Perfugium*, inquit, *videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus, at ex eo ipso plurimae curae, metusque nascuntur; dum funera tantum in somniis et denatorum amicorum vmbrae repraesentantur.* Neque dubito, neruorum resolutiones, iudicii et memoriae imbecillitatem, cum malo hypochondriaco saepius coniuncta incommoda, itemque maniacam e relaxatione passionem, a somno protractiori orta nasci posse. Constat enim, otiosos et somno nimis indulgentes, neruis laxioribus factis, paralysi et ingenii hebetudine prae ceteris laborare. Animi hypochondriacorum lassitudo a neruis quiete nimia relaxatis omnino exercitatione modica, quippe qua et neruorum sensorii communis blanda exsisteret palpitatio et tristium idearum profli-

 ga-

* In *dissertatione epistolari* pag. 393.

gatio, itemque locorum amoenitate, ſuaui hominum conſortio et meditatione temperata ſanaretur optime: quae contra durante ſomno protractiori ſemper augetur. Quem ad modum enim politiſſima inſtrumenta e chalybe confecta, vbi in vſum non adhibentur ſed intacta iacent, rubiginem ſentiunt; ita vel optimarum artium ſtudiis nutrita inſigniterque expolita mens excellentiſſima quaeque, niſi continuo exercitio acuatur, hebeſcit tandemque torpore corripitur. Quum igitur mens Muſis propitiis enutrita et eximiis dotibus exſplendeſcens, propter ſolertis exercitationis defectum obnubiletur, multo magis hypochondriacorum ſopore diuturno ſepultorum languens ingenium torpoſcet, quid? quod ſtupidum euadet, ac peruerſa illorum aegrorum imaginatio vanis inſomniorum ludibriis et illuſionibus confirmata ſenſim ſenſimque miſeros ad melancholiam deducit. E contrario dum vigilamus multas rerum iucundarum perceptiones ſenſuum ope cum mente communicare, illas ſecundum ordinem naturalem diſponere earumdem ſimilitudinem vel diuerſitatem diiudicare et hac ratione ingenium et perſpicaciam acuere poſſumus. Eodem ſomno protractiori quoque adfectus ſoporoſi in hypochondriacis gigni poſſunt. Ii enim a ſenſorii communis relaxatione ortum ducere ſolent. Sed iamiam ex effectibus ſomni, in partibus extra encephalum ſitis, noxas ſomni nimii deriuemus.

§. XXXII.

§. XXXII.

DVRANTE ſomno, quieſcentibus organis ſenſorii communis, ceſſat etiam fluidi neruei per neruum, animae nutum ſequens, ad muſculos determinatio, producendo motui muſculorum neceſſaria. Ergo muſculus quieſcit. Tolluntur omnes a motu dependentes in vniuerſo corpore effectus. Muſculus motu multa tam in ſe ipſo, quam vniuerſo corpore mutauerat. Sed durante ſomno Rogeriana fibrarum palpitatio, contracto muſculo maxime vigens, remiſſior eſt, eum in finem, vt lympha nutriens facilius fibrae adplicari poſſit. Fibrae enim praecipue muſculares, ob magnam glutinis partem motu perditam ſtrictiores et palpitantes, lymphae nutrientis aditum reſpuebant: itaque muſculum quieſcere oportebat, vt lymphae in vaſis vltimis arterioſis ſecretae in fibrae, per quietem et irrorans gluten relaxatae, ſpatia glutine antea euacuata, introitus patefieret, et nouum gluten puncta contactus noua formando cohaerentiam, flexibilitatem et elaſticitatem fibrae conciliaret. Inde muſculorum robur ſomno modico reſtauratur, qui etiam a neruo fluidi pleno et roborato aliam vigoris cauſſam nacti ſunt. Sed poſt modicum ſomnum fibra glutine renouata exercenda, et quieti finis imponendus eſt, vt motu aucto fibrillarum glutinis ſuperflua aquea pars per venoſa lymphatica vaſa reſorbeatur ac fibra denſior fiat. Si autem iuſto diutius protrahitur, lympha nimis aquoſa ac tenuis largiori in copia ſecreta, (quoniam partes tenaciores ob relaxata vaſa et

 inde

inde ortum tardiorem fluidorum progreſſum remanent, et feroſae tantummodo ceteris deſtitutae ad fibram penetrant cohaeſionem fibrae efficit laxam: inde Rogeriana palpitatio languet, et muſculorum naſcitur imbecillitas. Fibrarum enim ſimilis ac fidium muſicarum conditio eſt, quae relaxatae nullo modo tremunt. Conſtat autem chordas ex inteſtinis praeparatas madefactas nullo gaudere tono. Hypochondriaci per ſe iam muſculos iuſto laxiores habentes prae ceteris exercitio indigent, ergo ſomnus diuturnus iisdem magno detrimento eſt. Nam laxitas fibrae muſcularis dependet a minori vi, qua partes minimae fibrillam conſtituentes inter ſe cohaerent. Haec autem vis cohaerendi eo debilior eſt, quo pauciora, et eo fortior, quo plura ſunt contactus puncta. Contingunt ſeſe corpora in iis tantum locis, vbi elementa, ſeu corporum partes minimae propius ſibi adplicantur, nec contactus fieri poteſt, vbi horum ſunt interſtitia ſeu pori. Numerus partium corporis cuiusdam MASSA illius vocatur, ex pondere diiudicanda. Quo maior itaque eſt grauitas ſpecifica corporis, eo plura habet puncta contactus. Omnes hominis partes ſolidae grauitate ſpecifica ſuperant partes illius fluidas. Fortior igitur eſt vis cohaerentiae partium ſolidarum, quam fluidarum ſeſe contingentium, et fibra eo laxior et debilior eſt, quo pluribus conſtat partibus fluidis. At enim vero in ſomno nimis diu protracto, partes fluidae in corpore accumulantur, in interſtitia partium ſolidarum fibrae penetrant et harum co-

hae-

haerentiam imminuunt. Praeter ea in ſomno languent motus muſculorum, nec horum fibrae contrahuntur. Deficit ideo niſus partium ad ſe mutuo tendentium, qui praecipue partes fluidas laxius cohaerentes ex interſtitiis fibrae eliminat, partes ſolidas propius ſibi inuicem adplicat, contactum auget et fibrae robur reſtituit. Ab adfrictu fibrillarum muſcularium mutuo calorem animalem pendere demonſtrauit Rogerus. Cuius adfrictus modica remiſſio durante ſomno calorem animalem temperat; ſed ſomno nimio ſupra modum imminutae fibrillarum palpitatio et frictio corpori frigus conciliabunt. Quod quamquam ſtragulo opertis, ob impeditam partium ignearum diſſipationem, minus ſolemne ſit, tamen otio ac ſomno nimio indulgentes, quum ſurrexerunt, corripere ſolet. Symptoma illud, vbi hypochondriaci cadauerum inſtar frigent, a fibrarum laxitate et palpitatione, adfrictu atque calore inde imminutis oriundum, ſomno nimis protracto augeri, facile ex his perſpici poterit.

§. XXXIV.

HOMINE vigilante, animae continuis actionibus commotis fluidi neruei globulis, partium vitalium ac naturalium motus celeriores ſunt. Praecipue ſanguinis circulo per motum muſcularem aucto, vti capite priore dictum eſt, ſanguis ſpiſſus reſoluitur, crudae lacteae partes ſanguinis naturam induunt; acidae particulae ſubiguntur ac probe mixtae cum oleoſis ac terreis ſal ammoniacale

 con-

conſtituunt; ſanguis ad ſecretiones aptus redditur et excretiones adiuuantur. Sed vt ſecretiones deinde rite ſuccedant poſt motum ſomno atque temperatiori circulo humores noſtri indigent. Quem in finem durante ſomno perfecto muſculus totus quieſcit. Fibrae autem irritabilis palpitatio, ob alias ſupra memoratas cauſſas, calorem nimirum, ſalia, humorum licet moderatum circulum, non omnis intercepta, tam ob propriam a deſtructo glutine conciliatam laſſitudinem, quam deficientem fluidi neruei adfluxum remiſſior, temperatum humorum per muſculos progreſſum iuuat. Vnde moderatior ſanguinis venoſi ad cor regreſſus, cordis contractiones remiſſiores, tam ob minorem ſanguinis ſtimulum, quam quod robore indiget. Arteriae vero pulſu quidem pleno ſed lentiori ac molli gaudent. Moderatiori huic ſanguinis progreſſui ſecretiones et excretiones debentur. Secretiones itaque ſingulas a ſomno dependentes perluſtrabimus, et quas mutationes a ſomno nimio in malo praecipue hypochondriaco patiantur, oſtendemus.

§. XXXIV.

MODERATO ſcilicet ſanguinis verſus encephalum adpulſu, facile ſecedentibus ſubtiliſſimis particulis, relictis craſſioribus, et patulis relaxatis arteriis neruorum fluidum in cerebri medulla elaboratur, per neruos in vniuerſo corpore diſpertitur et omnibus partibus robur nouum addit, vt, expergefacto homine, ſingulae ſuis fungi queant actio-

actionibus. Vnde somnus moderatus hypochondriacis et omnibus imbecillibus egregiam adfert vtilitatem. Sed somno vltra modum protracto, nimium languentibus spiritibus animalibus, neruorum exercitio sublato, musculorum actionibus cessantibus, sanguinis progressus iusto tardior est; praecipue sanguinis venarum cauarum ad cor dextrum regressus, et inde dependens per pulmones et aortae systema circulus lentescit, vnde omnes humores praue mixti in vasis maioribus spissiores, partes iusto tenuiores ad vasa minima, quae tenaciores ob diametrum minorem renuunt, mittunt. Inde secretiones omnes turbantur et quidem primum muco praeternaturali quiete nimia aucto, sanguis laudabilem indolem, ad fluidi neruei euolutionem necessariam amisit. Ea enim euolutio celeriore humorum circulo ante, quam hi ad medullam cerebri peruenerant, iam iam perfecta erat, et moderatiorem circulum exspectabat, vt a ceteris humoribus fluidum tenuissimum secerni possit; quod superueniente somno eueniebat. Ergo somno modico omnes actiones, quarum vigor neruis debetur, roborantur, in statu praeternaturali spasmi a neruorum aeque ac fibrarum debilitate pendentes mitigantur, et motus aequales redduntur, animi vero παθηματα sopiuntur. Inde somnus modicus etiam hypochondriacis salutaris esse solet. Sed diutius somno indulgentibus, spiritus neruorum ob languentem cordis et arteriarum motum et humorum inde oriundam spissitudinem iusta copia euolui nequeunt, quid? quod ipsa vltima ence-

encephali vaſa et neruorum initia nimis relaxata ſunt; vnde fluidi neruei inopia corporisque vniuerſi debilitas. Dictum eſt capite primo ſectionis primae, hypochondriacos magna laborare humorum ſpiſſitudine, cordis et vaſorum motus imbecilles eſſe, quae mala ſomno protractiori augentur. Omnes, quae moderatum quidem humorum progreſſum, ſed minime nimium lentorem poſtulant, ob incongruam humorum mixtionem et debilitatum vaſorum ſecernentium tonum, ſecretiones hypochondriacorum deprauatae, ſomno protractiori magis corrumpuntur. Fluidum nerueum hypochondriacos deficere, debilitas eorum et motus ſpaſtici docent: quum itaque diuturnior ſomnus maiorem fluidi neruoſi inopiam coniunctam habeat; ſequitur, vt hypochondriacum malum eodem augeatur. Vnde ingenii et motus muſculorum imbecillitas, neque minus actionum vitalium ac naturalium deiectio etiam hanc ob cauſſam in hypochondriacis ſomno immoderate indulgentibus increbeſcunt, adeo, vt conuulſiones, neruorum tremores, paralyſis, adfectus ſoporoſi et ſyncope inde oriri facile poſſint, quippe quae ceteroquin, a ſpiſſis humoribus, qui neruorum principiis ex errore loci impinguntur, ortum trahunt.

§. XXXVI.

§. XXXIII.

QVAE porro neruinum liquorem ſecernendi ratio eſt, eadem etiam in ſecretione nutrientis lymphae. Lymphae enim materies in ſanguine iam iam perfecto haeſerat. Humorum vero moderatus circulus, et a quiete muſculi totius et fibrillarum remiſſiori palpitatione et mitigata ſpirituum animalium ad partes vitales atque naturales determinatione pendens, humorum per vaſa minima meatum liberum reddit atque aequalem, vnde lympha nutriens facilius ſecedit et ad fibras penetrat, quae ab ea, vti §. XXXI. de fibra neruea dictum eſt, mollitiem, flexilem naturam atque elaſticitatem mutuantur. Si itaque ſomno moderato fruimur, maiorem muſculorum, antea exercitatorum et omnium actionum vigorem nanciſcimur: quae proinde in hypochondriacis iuſti ſomni emolumenta! Sed hoc morbo correpti, ſi ſine vlla antecedente corporis mentisque exercitatione ſomno ante noctem ſe tradunt atque eundem in diem protrahunt, humorum craſſiores partes, ſpecifice grauiores tenuioribus ſecundum leges phyſicas inter ſeſe cohaerentes, conglutinatae, a tenuioribus ſegregatae, vaſis minimis impactae hasce ſeroſas, ad fibras non permittent; vel in vaſis maioribus haerentes tenuem inertem humorem vaſis minoribus praebebunt. Ergo lymphae nutrientis ſecretio in aliis fere nulla in aliis imperfecta erit, et lympha, oleoſis et terreis particulis deſtituta, iners fibras iuſto laxiores gignet.

gnet. Somnus igitur protractior, neruis fibrisque vniuersi corporis inimicus hypochondriacam infirmitatem augebit.

§. XXXIV.

EODEM modo ceterae secretiones et excretiones somno modico rite succedunt. Bilis largiori copia vna cum pancreatis succo in duodenum adfunditur; superficies internae partium cauae muco siue madore largiori obducuntur; oleosae particulae in cellulis adiposis congregantur; externa cutis superficies a perspirante vapore madet; vrina largior et coloratior secernitur, et in vesica colligitur, intestinorum interna atque externa superficies muco ac vapore lubricante oblinitur, vt et frictiones nimia intestinorum praecaueantur et hominis expergefacti aluus facilior exonerari possit. Haec omnia temperatae solidarum partium contractioni ac relaxationi, moderato humorum circulo, nec non vasorum ostiis patulis ac relaxatis debentur. Tanta omnino modici somni apud sanos aegrosque vtilitas! In statu sano secretiones et excretiones conseruantur, in praeternaturali restituuntur et in pristinum ordinem rediguntur. Hypochondriaci ergo praecipue si spasmis et animi commotionibus torquentur, somno moderato frui possunt. Protractior enim nimis relaxando fibras et neruos, ac motus solidorum iusto tardiores reddendo humorum lentorem et spissitudinem gignit, ergo omnes secretiones et excretiones de-

prauat. Praecipue in malo hypochondriaco bilis, ſucci pancreatici ac ſaliuae ſecretiones, et ortae inde chyli et ſanguinis elaborationes vitiantur. Somno protracto excretio aluina retardatur, quo fit, vt feces ad putredinem iam pronae in calore corporis humani diutius detentae magis putres euadant, partes excrementorum putreſcentium liquidiores ad ſanguinem tranſeant, quae lympham ita inquinant, vt ex ea bonus liquor neruorum ſecerni nequeat, ideoque totius corporis languor et virium defectio oriantur. Reſorptis partibus liquidioribus τα σκυβαλα duriſſima ſicciſſimaque relinquuntur, quae hypochondriacorum ad pertinaciſſimam alui obſtructionem ex morbi natura iam inclinantium inteſtina obturant. Flatus hac ratione incarcerati canalem inteſtinorum nimis diſtendunt, eiusque labefactatum tonum magis magisque deſtruunt. Praecluſo vero exitu fecum et obſeratis inteſtinis, mucus quoque praeternaturalis retinetur, qui tubo alimentorum eiusmodi aegrorum vbique quam tenaciſſime adhaeret, ac inprimis circa valuulas Kerkringii collectus, ibi hiantia chyli vaſcula obſtruit, et impedit, quo minus ſuccus nutritius ſanguinem ingredi poſſit. Eadem pertinax alui ſegnities hypochondriaco malo adflictos ad haemorrhoides caecas diſponit, quibus nouis cruciatibus exponuntur. Tubulis renum nimium relaxatis, ſanguine ſpiſſeſcente, ſerum quidem tenue larga in copia e ſanguine per renales tubulos delabitur, ſed partes oleoſae et ſalinae ſpiſſo ſanguine inuolutae remanent; et lotii excre-

tione ſomno protractiori diutius cohibita, ſanguis hypochondriacorum multis iam noxiis humoribus ſcatens, reſorptis ex veſica vrinae partibus putridis, magis impurus redditur. Sic etiam per cuticulares meatus ſecernuntur aquoſae partes cum frigido ſudore, remanentibus, quae maiori corpori detrimento ſunt, ſalinis atque oleoſis. Ita excretionibus deprauatis remanentes ſordes vaſorum pariter atque neruorum ſyſtema peſſime adficiunt, vnde viſcerum obſtructiones, neruorum tremores, conuulſiones, animae anxietates.

§. XXXV.

RELAXATIO partium ſolidarum nimia, quam ſomnus diutius protractus gignit, atque humorum inde profecta ſpiſſitudo praeter effectus memoratos, quoniam viſcerum obſtructiones producunt, propter ea, etiam nocent, quod humores ſpiſſi, neruis moleſti, horum latera comprimentes fluidi neruei ad partes motum tollunt: vnde paralyſes, neruorum tremores, omnium actionum debilitas, in malo hypochondriaco toties obſeruata ſymptomata.

§. XXXVI.

MVSCVLORVM abdominis et diaphragmatis actio quamquam, ſomno durante, ob reſpirationem non penitus quieſcat, tamen moderata eſt, eo naturae conſilio, vt ſomno modico ſecretiones augeantur et excretiones faciliores reddantur.

Sed, ſi actionum animalium quies diutius protrahitur, muſculi iam iam maiori indigentes exercitatione actione ſua minus ſufficiente abdominalia viſcera tantum concutere nequeunt, quantum robori eorum et conſeruando et augendo neceſſarium eſt. Diuturnior itaque ſomnus periſtalticum inteſtinorum motum, hepatis et glandularum actiones debilitat, et connexa mala creat omnia.

§. XXXVII.

PRAECIPVE vero ſomno protractiori, ſi ſitus eſt ſupinus, arteriae aortae deſcendens truncus ab incumbente viſcerum et fecum aluinarum mole comprimitur, in aorta ſanguis impeditus, in ſiniſtro cordis ventriculo accumulatus liberum ſanguinis pulmonalis tranſitum impediendo, anxietatem, peruerſas animae imaginationes producit et incubum, ſomnia grauia, quae quidem ſymptomata cum malo hypochondriaco plerumque conſociantur, vnde animae hebetudo neruorumque imbecillitas magnopere augetur.

§. XXXVIII.

NEQVE minus ceterae anxietatis hypochondriacae cauſſae a ſomno protractiori naſcuntur. Hoc enim ſymptoma etiam modo ab obſtructione viſcerum abdominalium cum ſyſtemate venae portarum connexorum; modo a fecibus aluinis retentis vaſa vicina comprimentibus et liberum ſanguinis per abdomen meatum im-

pedientibus pendere, §. X. exhibet. Spiſſus enim venae portarum ſanguis tum mole ſua neruos cardiae adficiendo, tum vicina arterioſa vaſa comprimendo liberum ſanguinis per abdomen tranſitum tollendo anxietatem producit. Arteriis autem quae abdominis viſcera permeant, aut venae portarum, aut proprii ſanguinis ſpiſſitudine aut fecum retentarum et induratarum preſſione obſtructis, etiam liber in aortae trunco ſanguinis progreſſus impeditur. Nimis vero relaxatis partibus ſolidis a ſomno protractiori et muſculis abdominis nec non diaphragmate tarde ſeſe mouente minus ſufficiente ſuccorum in abdomine contentorum actione, ſanguis et ceteri humores facile ſpiſſeſcunt, vaſis minoribus impacti obſtructiones producunt, vnde ſanguinis arterioſi progreſſu impedito, aortae trunco nimis repleto, cordis ventriculus ſiniſter ſe ſe euacuare non poteſt et ſanguinem pulmonalem retardando anxietatis cauſſa eſt. Quare hypochondriaci animi παθήμασι adflicti ſaepius ad ſomnum confugientes maius damnum, quam emolumentum inde exſpectare poſſunt. Minime enim ſola anxietas ab humorum per viſcera abdominis impedito circulo, ſed alia etiam complura naſcuntur cerebri incommoda. Congeſto enim verſus caput ſanguini et retardato eius per abdomen progreſſui, id quod ſupra expoſui, ſaepius apoplexiae, adfectus ſoporoſi, ingenii debilitas, deliria, ceteraque, quae ſunt generis eiusdem, mala ortum debent.

§. XL.

§. XXXIX.

OTIVM ſomnusque protractior obeſitatem quidem et plethoram pariunt: ſed quanta ſunt incommoda quae in pingues ac plethoricos redundant? Is enim corporis habitus minime ſecundum peruerſam vulgi opinionem ſalutem promittit. Laxiores enim corporis fibrae ſuccos lentius propellunt, excretiones retardant, ita vt ingeſta egeſtis minus reſpondeant. Eaedem oleoſas partes ſubigere non poſſunt, quare cellulis adipoſis adlati humores, vaſorum minorum ſyſtaltica vi ob cordis longinquum ſitum imminuta, pingues particulas facile ſegregare et in cellulas deponere poſſunt. Sicut fibrae relaxatio obeſitati ita et obeſitas relaxationi fauet. Experientia enim docet olea et pinguia fibras laxare. Pinguedo animalium non tantum hoc ideo facit, quod fibrae particulis terreis inſinuata gluten emollit, terreasque particulas a ſe inuicem remouendo fibram rariorem reddit, ſed etiam mole ſua fibras neruosque premendo fibrarum robur imminuit. Ergo vt taceam multos acutos morbos ab adipe reſoluto oriri, obeſitas producendis morbis chronicis potiſſimum fauet: et quamquam hypochondriaci raro obeſi ſint, obeſitas tamen malo hypochondriaco vt cauſſa antecedens anſam praebere poteſt. Quare CELSVS * *gracile,* in-

* *Lib. II. Cap. I.*

inquit, *corpus infirmum: obesum hebes est.* Haec sunt, ex quibus luculenter adparere arbitror somnum protractiorem sanis pariter cum infirmis, praecipue vero hypochondriacis, insigni detrimento esse. Equidem non dubito fore, qui somnum protractiorem tantas noxas hypochondriacis conciliare non posse putent: quum vigiliae motusque breues praecauendis et tollendis, quae ab immoderatiori quiete suboriuntur, incommodis sufficere opinentur. Sed Sisyphi lapidem voluere mihi videntur, qui tantum sibi somno nimio nocent, quantum pauco labore ac vigilia proficere sunt conati. Nec ratio tantum, sed experientia quotidiana etiam docet, ignauiam corpus animamque hebetare, quae contra labor firmat. *

§. XL.

CANE vero peius et angue fugiant hypochondriaci somnum meridianum. Quamuis enim caussa illius nondum extra omnem dubitationis aleam posita sit, et eruditi hac de re diuersas foueant sententias; plurimi tamen in eo consentiunt, et vno quasi ore adfirmant, somnum meridianum a compressione fibrarum medullarium cerebri oriri. Sunt, qui cum ARISTOTELE ** somni meridiani caussam in vaporibus e ventriculo ad cerebrum adscensis neruos comprimentibus quaerunt. At enim vero nulla patet via, per quam

* Confer. CELSVS *Lib. I. Cap. I*

** *Lib. de somno et vigil. cap. III.*

quam ciborum exhalationes in cerebrum transferri possent. Alii perhibent, dormiendi cupiditatem post prandium excitari a copiosiori chylo ad sanguinem delato, qui ante, quam sanguini penitus adsimilaretur, vasa cerebri minima difficilius penetraret, eaque dilatando internam cerebri partem comprimeret. Sed his ideo adsentiri non possum, quia chylus post tres demum vel quatuor a prandio horas sanguinem ingreditur, somnus vero pransis citius obrepere solet. Liceat itaque mihi somni meridiani naturam a caussa deriuare probabiliori. Stomachus cibis nimium repletus et quaquauersum expansus arteriam aortam sub ipso descendentem comprimit, quo fit, vt sanguis in itinere suo ad partes inferiores impeditus magis versus superiora vrgeatur, et per arteriam carotidem internam ad mollissimum minusque resistens cerebrum propellatur, cuius tenuissima vasa dilatat, medullam cerebri comprimit et sic somnum inducit. Accedit ad haec, quod per octauum neruorum par, vagum dictum, tempore digestionis magna liquidi neruini copia e cerebro ad ventriculum descendat. Reliqui igitur tubuli medullares cerebri ad sensuum organa abeuntes propter liquoris vitalis eos distendentis inopiam flaccescunt et compressioni magis sunt obnoxii. Quum itaque neruorum fibrae hypochondriacorum iam laxiores sint, horum medulla cerebri, quae in omni somno relaxatur, si eiusmodi aegri de prandio somnum caperent, per vasa tempore digestionis sanguine nimium dilatata magis comprimeretur et sic omnes

 nerui

nerui, qui a cerebri parte, medullari procedunt, flaccidiores fierent atque debiliores. Quare hypochondriaco morbo laborantes ſomnum tum meridianum tum nocturnum iuſto longiorem eo curioſius euitare debent, quo procliuiores ad vtrumque eſſe ſolent.